



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa


Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

Vindalium, 1646

Sectio. I. An sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38789



CAPVT XII.

De peccato originali.

SECTIO I.

An sit.

CONCLUSIO I.

SECUNDUM fidem admittendum est peccatum originale, in posteros Adæ per generationem transfusum. Ita omnes Catholici contra Pelagianos, qui olim peccatum originale negabant. Probatum autem 1. ex Scriptura sacra Iob. 14. Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Psalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, ubi numerus pluralis pro singulari ponitur. Rom. 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Et ne cum Pelagianis dicas, peccatum intrasse in mundum, non propagatione, sed imitatione, Apo-

DE PECCATIS. CAP. XII. 141

Stolus hanc euasione[m] excludit Ephes. 2. cum ait, nos natura[m] esse filios iræ. Imò cum Pelagius quæreret, per quas rimulas hoc peccatum dilaberetur in animam, Respondit Augustinus lib. 2. de nuptiis cap. 28. ex eo loco Apostoli, Quid quæris, ô Pelagi, rimulam latentem, cum ianuam habeas apertissimam, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Quid amplius quæris?

Probari potest 2. ex Conciliis, & Patribus. Verum aliis dimissis, sufficet nobis illud ex Tridentino sess. 5. de peccato originali. Si quis Adæ præuaticationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanitatem, & iustitiam quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, &c.

Probat 3. ex institutione Baptismi, Ecclesia enim semper credidit, baptismum specialiter fuisse institutum pro paruulis, vt scilicet per ipsum mundarentur à pec-

cato originali. Quò spectat illa sollicitudo, quâ parentes Catholici curant, ut infantes recens nati quam primum baptizentur; credunt quippe eos ante baptismum, infectos esse peccato originali, adeoque si in eo statu moriantur, à regno Dei in æternum excludendos. Nec refert, quòd baptismus à Christo fuerit institutus, nam ante aduentum Christi alia erant remedia, quibus infantes à culpa originali purgari poterant, ut diximus ubi de Sacramentis in genere.

Dices 1. si infantes nascerentur infecti peccato originali, falsum esset illud Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris. Verùm hoc retorqueti potest cõtra Pelagianos, tum quia illi dicebant, infantes sine baptismo morientes, ab æterna vita seu à visione Dei excludi; tum quia experientia constat, infantes variis pœnis affici. Quare hinc potius concludi debet, eos alicui peccato à primo parente tracto, obnoxios esse, ut verum sit, filium non portare iniquitatem patris, nisi ipse illius quodammodo sit particeps, ut explicat S. Doctor ad 1.

Dices 2. si peccatum originale transfunditur per generationem, aut illud subiectiuè existit in corpore, aut dicendum est non modo corpus, sed etiam ani-

nam generari. Respondeo neutrum sequi, non enim ista transfusio est physica, sed moralis, quemadmodum ipsum peccatum originis est aliquid morale. Quare ut Adam censeatur transfundere peccatum illud in posteros, sufficit quòd ij via ordinaria ex illius stirpe oriantur; quia pactum tale erat, ut si primus parens à iustitia originali sua culpa excideret, eadem etiam omnes illius filij priuati essent.

Dices 3. nos sæpe in superioribus dixisse, nullam esse peccatum, nisi sit voluntarium, & contra aliquam legem: infantes autem non uti propria voluntate, neque ullius præcepti capaces esse. Ad hoc responderi potest ex S. Thoma 1.2. quæst. 81. art. 1. omnes homines qui nascuntur ex Adam, posse considerari ut vnum hominem, in quantum conueniunt in natura specifica: sicut omnes homines vnius communitatis reputantur quasi vnū corpus, & vnus homo; actus autem vnius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primò mouet membrum. Sic igitur inordinatio quæ est in isto homine ex Adam genito, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui mouet mo-

tione generationis, omnes qui ex eius origine deriuantur; sicut voluntas animæ mouet omnia membra ad actum. Vnde etsi de ratione peccati sit, quod aliquo modo sit voluntarium, & contra legem, est tamen discrimen inter peccatum actuale, & originale, quòd actuale debet esse voluntarium, voluntate particulari ipsius à quo perpetratur, & contra legem ipsi impositam: at satis est quod originale, cum ab actuali distinguatur, sit voluntarium voluntate communi generis humani, seu voluntate Adæ, ut in eo tanquam in capite, omnes homines continentur, & per illum repræsentantur, & consequenter contra legem ipsi Adæ, ut aliorum hominum capiti indictam.

 SECTIO II.

*An B. Virgo ab originali fuerit
immunis.*

CONCLUSIO I.

Beatissima Virgo Dei Genitrix à peccato originali fuit præseruata.) Probatum i. quibusdam testimoniis Scripturæ, quæ in hanc rem profertur solent, quale est